

www.e-rara.ch

Dissertatio politica de religione

Kisselbach, Heinrich

Basileae, [1658 oder 1659]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-23086>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISSERTATIO POLITICA
De
RELIGIONE.

Quam,

In Nomine S. S. Trinitatis,

CONSENSU & AUTHORITY
Sapientissimi & Spectatissimi Ordinis
Philosophici, in Incluta Rauracorum
Academia,

SUB PRÆSIDIO,

Viri Reverendi & Excellentissimi,

D. M. HENRICI KISSELBACHII,
Physices Profess. Ordin. Præceptoris ac
Mecœnatis sui omni amore ac honore
ætatem prosequendi;

Publicæ Ventilationi exponit,

JOACHIMUS CAWIEZEL,
Rhætus.

Ad diem 6. Janu. An. M DC LVIII.

Horis locoque solitis.

BASILEÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Academiae Typographi.



VIRIS

*Prænobilibus, Strenuissimis, Amplissimis,
Prudentissimis, Gravissimis,*

DN. GULIELMO SCHMID à Gruenegg, J.U.D.
Consultifs. Sacri Cæs. Palatii Comiti hæred. fœderis
superioris secundum Præsidi Amplissimo, Gym-
nasii, quod est Curiae Rhætorum, p. t. Scholarchæ
dignissimo.

DN. CHRISTOPHORO ROSENROL à Baldenstein,
Regiæ Majestatis Hispan. Equestris ac Pedestris mi-
litiae Chiliarcho Strenuissimo.

DN. BENEDICTO à CAPAULIS, Prætori olim
Tellii Dignissimo, fœderis superioris p. t. Præsidi
Prudentissimo.

DN. JULIO à MONTALTA, Prætori olim Morbenii
integerrimo, ut & Jurisdictionis Ilantinae secundâ
vice-Præfecto Prudentissimo.

DN. JACOBO ROSENROL à Baldenstein, Præ-
tori olim Morbenii, nunc verò totius Vallis Telinae
Gubernatori Strenuissimo.

DN. PANCRATIO à CAPREZ, Præfecto Iantino
p. t. dignissimo.

DN. CHRISTOPHORO à MONTALTA, Ilan-
tinae Jurisdictionis olim Præfecto meritissimo, ejus-
p. t. Senatori Prudentissimo.

UT ET VIRIS

Admodum Reverendis, & Clarissimis

DN. M. LUCIO GABRIELI, Ecclesiae Ilantinae
Ministro fidelissimo, fœderis superioris in Reforma-
ta Rhætia Decano Spectatifs. Dignissimo.

DN. CHRISTIANO GAUDENTIO, Ecclesiae Ma-
jevillanæ Ministro vigilantissimo, Parenti lustrico
summâ reverentiâ colendo.

Patriæ Patribus & Patronis, hæc de Religione Politicas
Theses, humillimo pectore consecrat.

DEFENDENS.



THE S I S I.

DE Religione disputant Theologi : disceptant Politici ; Sed alio & alio utri- que modo & fine. Theologus expli- cat nobis ejus essentiam ; docendo defi- nitionem, divisiones, affectiones, Cau- sas, objectum, & media, quibus obtine- tur, &c. & hæc omnia in ordine ad vi- tam æternam ; ut Electi credant, & sal- ventur. Politici, omnia ista missa facientes, intacta relin- quunt, atq; præsupponunt, solamq; ejus externam professio- nem, cultum, conservationem, & defensionem, ut Media ad pacem, & felicitatem Reipublicæ obtinendam summè neces- saria sibi curæ esse profitentur. Et hæc quoq; sunt illa, de qui- bus nobis in hac dissertatione more Politico paucis differen- dum esse judicavimus, ut quilibet non modò pietatem, sed & honestatem colens, sive Ethnicus, sive Christianus videat, quantum illi Pseudopolitici à vero, honesto, & utili aberrent, qui omnem Religionem, pietatem, & fidem Democritico risu subsannant, pedibus conculcant, & ad salutem Reipublicæ non tantum inutilem, sed & noxiam esse nefariè arbitrantur.

I I.

Methodus autem tractandorum hæc erit: Primò exami- nabimus : An Politia aliqua sine ulla Religione subsistere queat ? Secundò : An omnis Politicus, sive superior sive in- ferior, aliquam Religionem publicè profiteri debeat, idque vel fronte tantum, vel etiam corde. Tertiò : An non exco- lenda quoque Religio ? & an quilibet Religionis cultus exter-

nus à Magistratu Politico permittendus. Quartò: An Religio vera Principi conservanda, & propaganda, & quibus Mediis? & viceversâ: An falsa prohibenda, extirpanda? An quis ad veram Religionem & fidem sit cogendus, vel blanditiis, promissionibus, aut muneribus alliciendus: An in singulis Rebus publicis una, vel plures sectæ sint admittendæ? Quintò deniq;: An vera Religio defendenda, & quomodo, an verbo, vel gladio? An propriis, an alienis armis? An in proprio, vel etiam alieno territorio? &c. Atque hæc de hac Materia hac vice sufficient; Reliqua, quæ adhuc discutienda superessent, aliis ventilanda relinquimus. Rem ipsam aggrediamur.

III.

Religio est basis & fundamentum omnis Reipublicæ, Mater virtutum, Nutrix justitiæ, & cornu copiarum omnium bonorum, tam temporalium, quam spiritualium. *Hæc principes timore numinis in officio retinet: Subditis incutit obedientiam: omnium in periculis animos erigit: conservat Rempubl. & in necessitate Dei clementiam, favorem & auxilium ei conciliat.* Facilius ergo domus sine fundamento, Urbs sine solo, & corpus humanum sine capite, quam Societas Civilis sine omni Religione consistere, & conservari potest. *Nam ubi nulla Religio, ibi nulla fides, nulla justitia, nulla virtus: Sed eorum loco, fraus, dolus, injuria, vis, licentia & omnium rerum confusio, & perturbatio clavum tenet.* Ubi enim nulla numinis formido & reverentia; ibi quoque nulla virtutis, & justitiæ æstimatio, & exercitatio speranda est. Non ergo Politia; sed impia, & confusa latronum turba talis poterit appellari congregatio.

IV.

Religio autem à Politicis duplex statuitur: Una supernaturalis non lumine naturali nota, non naturæ viribus acquisita; sed ex speciali Dei gratiâ solis electis à Deo, vel immediate, vel mediatè per Prophetas & Apostolos suos revelata, *verum de Deo sensum, & rectum ejus cultum comprehendens.* Altera naturalis: quæ aliquem cet Deum esse: primam omnium rerum causam: malorum vindicem & bonorum remuneratorem, eumq; ab omnibus colendum esse. Hanc lux naturalis demonstrat: Recta ratio dicitur: omnia

omnia Dei opera clamitant : Lex naturalis omnibus imperat.
Unde à quibusdam communis & universalis appellari solet ;
quia nulla gens tam fera, & barbara in toto terrarum orbe un-
quam fuit, quæ nullum omnino hujus Religionis sensum vel
cognitionem habuerit. Unde & ab Apostolo, *Opus legis scri-*
ptum in cordibus omnium hominum. dicitur Rom. 2. v. 15.

V.

Quamvis autem Religio supernaturalis, Christiana præfer-
tim & vera, egregium singulis Politiis ornamentum adferat, &
ultimum eis perfectionis colophonem imponat : Non tamen
est de essentia Societatis civilis in genere, nec finis ejus proxi-
mus intrinsecus, & naturalis ; quo absolute posito vera poni-
tur Politia, & quo sublato tollitur. Ethnicorum enim secun-
dum rectam rationem constitutas Respublicas, nec Deus re-
probavit, nec Christus sustulit : *Sed jussit dare Casari, quæ Cesaris*
sunt : Et Deo, quæ Dei sunt. Matth. 22. v. 21. Christianam verò
Rempubl. Christiana decet Religio : An autem semper vera,
sic, ut sine illâ nec vera, nec Christiana dici possit ? Non putò.
Nam Ethnica, quæ nihil Christi habet, adhuc vera Politia ma-
net : *Et Christiano adhuc nomine gaudet, in quo adhuc aliquid Christi*
reperitur : si non absolute & perfecte ; tamen imperfectè & se-
cundum quid, ut loquuntur Philosophi.

VI.

Religio ergo Naturalis, communis & universalis ad omnem
omnino, non tantum integram Civitatem ; sed & ad quodli-
bet civitatis membrum, seu Civem, necessariò requiritur : *quâ*
sine, non hominum societas ; sed bestiarum latibulum : Non civis ; sed
monstrum vitam pecudum sub humana specie vivens censendus est, nec
ulla unquam in toto mundo Politia extitit, nec etiamnum
extat, quæ hac Religione caruerit, aut careat. Lumine enim
naturali etiam gentes cognoverunt omnimodam impietatem
& Atheismum interno Politicæ vitæ scopo & fini, naturali ni-
mirum honestati, paci & felicitati repugnare : Religionem ve-
rò coagulum, vinculū & firmamentum omnis humanæ socie-
tatis esse : quâ sublatâ, vita hominum, stultitiâ, scelere & im-
manitate compleatur. Hinc omnes gentium Deos, sacrificia,

auguria, oracula, vaticinia, vota, omina & reliquum Deorum cultum originem traxisse, omnes uno ore Historici confitentur. Si terras obeas, invenire possis Urbes muris, literis, Regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias: Urbem templis, diisq; carentem, qua precibus, jurejurando oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo vidit unquam. Inquit Plutarchus. Ante omnia, ait Cicero 4. de leg. Deum invocemus, ut civitatem nostram stabiliamus, obsecremusq; ut nos exaudiat, & nobis propitius sit, atq; benignus ad nos veniat, & leges ipse nos doceat, nostramq; civitatem adornet, &c. Sic prima lex 12. tabul. Ad divos adeunto castè pietatem adhibeunto, opes amovento. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit, &c.

VII.

Sed quid? Num quilibet veram Religionem in Politia publicè & apertè profiteri, excolere, & exercere debet? Machiavello, virtutis est; Vulpeculam agere; hominibus illudere: simulare, dissimulare: Ad exemplum Alexandri Sexti Pontificis mortaliū impostorem agere: ad omnem malitiam & fraudem mentem exercere: multa promittere, pauca servare: virtutes callidè tegere: ad omnem ventorum & fortuna conversionem versatile ingenium habere: pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem externā tantum specie colere: vitam & imperium conservare quibuscunq; rationibus; modò honesti speciem præ se ferant, & hoc ad decipiendum vulgus, quod magis specie & colore rerum, quàm rebus ipsis permovetur: l. 1. de princ. c. 18. At Deo abominationi est omnis illusor, Prov. 3. v. 32. Va duplici cordi & labiis scelestis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Ecclef. 2. v. 14. Va vobis Pharisei, & Scribæ hypocritæ. Matth. 23. v. 13, 14. & 15. Ludibrio & odio est omni populo: Nam larvâ detractâ & cognitâ Vulpinâ impietate, perfidiâ, perjurio, mendacio, calliditate, dolis atque fraudibus: à nemine etiam impio illi fides habetur, à nullo æstimatur, ab omnibus contemnitur, & datâ occasione instar pomi Pentapolitani abjicitur.

VIII.

Excusant hic Machiavelli Clientes Patronum suum, dicentes, eum non docuisse, Quid juris sit, aut quid fieri oporteat:

teat: sed quid facti, aut quid communiter fieri soleat. Ideoq; ea non pro Regulâ, sed pro cautione tantum literis mandasse. Sed advertant ii & ponderent, quid hæc verba propriè significant, quando dicit: *Vulpeculam agere oportet: Leoninum ingenium esse subeundum; Hominum improbitatem perfidiâ esse illudendam: Virtutes esse dissimulandas callideq; tegendas: Necessè est, ut princeps ad omnem ventorum, & fortuna conversionem versatile ingenium habeat: Princeps acrem curam, diligentiamq; omnem adhibeat, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem sanctè colere videatur, &c.* Indicantne hæc Historias factorum, vel præcepta morum? imò ipsemet hoc ipso capite præcepta vocat; dicens: *Si homines probi fuissent omnes, præceptum hoc planè fuisset inutile: & quid opus est excusatione? Penitentur Verba c. 15.* ubi sic ait: *tantum abest ratio, quâ homines vivunt, ab eâ, quâ æquum esset, ut viverent, ut qui negligit quod fit, secuturus, quod esset faciendū, is sibi ruinam potius in addiscendo accersit, quàm quod suæ saluti consultum velit. Qui enim se virum bonum omnibus partibus profiteri studet, eum certè inter tot non bonos periclitari necesse est. Necessarium est itaq; principi ut perceptum habeat, si se salvum velit, quâ ratione possit esse non bonus, &c.* En novum Politicorum Evangelium.

IX.

Dicent fortè Apostolum suum, Principem Naturalem tantum & non Christianum informandum suscepisse; ideoq; ei præcepta non quidè legi divinæ, sed naturæ humanæ conformia tradidisse. Sed præterquam quod præstitisset, hominem Christianum, Christianum principem, Christianis præceptis informare, doctrina illa etiam rectæ rationi & lumini naturali repugnat. Hoc etiam Ethnici agnoverunt. Audiatur Cicerò l. 2. Off. *Præclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendariam dicebat, si quis ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod qui simulatione, & inani ostentatione, & ficto, non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse censerent, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atq; etiam propagatur. Ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Et post pauca: qui igitur adipisci veram gloriam volent iustitia fungantur officiis, sed ut facillimè quales sumus*

sumus, tales esse videamur; etsi in ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi volumus. Idem l. i. off. Totius iniustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maximè fallunt id agunt, ut boni viri esse videantur: Et l. 2. de natura Deorum: Cultus autem est optimus, idemq; castissimus, atq; sanctissimus, plenissimq; pietatis, ut Deos semper, purâ integrâ, incorruptâ & mente, & voce veneremur. Plat. l. 2. de Repub. extrema est perversitas, cum prorsus iustitiâ vaces, ad id tamen niti, ut vir bonus esse videaris, &c. Pudeat Christianum vitia docere, à quibus etiam Ethnici abhorrerunt.

X.

Audiat ergo Princeps & Magistratus Christianus mandatum Dei, quod dedit Josuæ duci post obitum Moïsis Jos. i. v. 6. & seqq. dicens: Confortare, & esto robustus valdè, ut custodias & facias omnem legem, quàm præcepit tibi Moïses servus meus. Ne declines ab eâ ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo; tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare & esto robustus: noli metuiere & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quacumq; perrexeris. Audiat universa Respub. fidelium, quid loquatur Dominus Jos. 23. v. 6. Confortamini, & esote solliciti, ut custodiat cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moïsi, & non declinetis ab eis, neq; ad dexteram neque ad sinistram, &c. Audiat Princeps gentilis Isocratem ad Nicoclem. Orat. i. Religionem, quam à Majoribus accepisti, conserva: solumneq; & pulcherrimum sacrificium & cultum maximum existima, si ipse sis optimus & iustissimus. Major enim spes est ejusmodi, boni aliquid à Diis impetraturos, quàm qui aras delubraq; adificent. Audi quid Cambyfes suadeat Cyro filio ad Astyagenavum suum proficiscenti: Hoc unum præcipuè commendo, idq; tanquam pretiosum thesaurum à patre donatum in tuâ memoriâ perpetuò recondi cupio: Dei esto amicus, in eundem pius: nihilq; aggrediaris, nisi numine implorato: Imbecilla enim est & habes Mortalium natura: nihil Dei sapientiam latet: omniaq; ex sententiâ iis cedunt, quibus illa præsto est. Imitare pietatem Reipub. Rom. de qua Valerius Max. l. i. c. i. hæc testatur: Omnia post Religionem ponenda nostra civitas duxit, etiam in quibus summa Majestatis conspici decus

Deus voluit: quapropter non dubitavit sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divina potentia benè atq; constanter fuissent famulata.

X I.

In unâ autem Repub. unam, si fieri potest, Princeps Religionem, primò & maximè curet, conservet, propaget, defendat: juxta illud scripturæ: *Unus Deus, una fides, unum baptisma: Ephes. 4. v. 5.* Sicut enim una anima, unum corpus, sic una fides, unam Rempub. decet: *Unitas enim fidei obedientiam erga principes, mutuam inter subditos benevolentiam, quasi unum spiritum producit: Diversitas verò Religionis diversos animorum motus, intestinum odium, rixas, contentiones, turbas, seditiones, & periculosissimas aliquando in Reipub. exitium vergentes machinationes, & consultationes procreare solet.* Videt hoc magnus Moscoviæ Dux, quamvis barbarus; unde in ejus Imperio de aliâ, quàm Græcâ Religione etiam musitare periculosum est. Vident Chineses, ideo nullam aliam in suo Regno præter avitam suam Religionem tolerare volunt. Viderunt Japonenses, ideo Jesuitas in Insulas suas Religionem Pontificiam introducere conantes, ex ditione sua in perpetuum abire jusserunt, more Venetorum dicentes: *Ite, nihil auferte, & nunquam redire.*

XII.

Quodd si verò falsam in terris suis Religionem inveniat? Quid consilii? Circumstantiæ prudenter perpendendæ: An sine tumultu, seditione, majore periculo, & Reipubl. ac veræ Religionis detrimento ad agnitionem veritatis subditi, modis licitis, & à jure concessis reduci possint, necne. Si possint, media tanto operi cōvenientia sedulò adhibenda: piâ vitâ, bono exemplo, mansuetudine, ardentibus pro salute subditorum ad Deum precibus fufis, justitiâ, benignitate, aliisq; virtutibus, honoribus etiam, præmiis & muneribus alliciendi, amicè admonendi, fideliter instruendi, severè corripiendi, apertis scripturæ testimoniis & evidentissimis rationibus & argumētis convincendi, Censurâ quoq; & disciplinâ Ecclesiasticâ coercendi, politicâ quoque poenâ aliquâ punien-

di, Viri docti & pii undique conquirendi, consulendi, Scholæ & Academiæ instituendæ: Verbi Divini lectio & auditio frequens imperanda, quibus & similibus Mediis, si animas subditorum lucratus fuerit, rem Deo gratissimam fecerit. Quod si verò tantam in illis obstinationem invenerit, ut sine imperii subversione, multi sanguinis, fidelium etiam, effusione ingenti veræ Religionis clade eos convertere nequeat, toleranda est, & Deo precibus commendanda, ut ipse aliquando, quando placuerit, corda eorum moveat, oculos aperiat, & in viam vitæ reducat. Sicut enim *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, Rom. 3. v. 8. Sic quoq; toleranda sunt minora mala, ne incidamus in majora; *ferendum enim est, quod emendari non potest: ferre autem, ut monet Cicero, quæ ferenda sunt, non est approbare, quæ approbanda non sunt*. Nullatenus tamen cum lupis ululet, in gratiam & favorem subditorum falsam religionem simulando, aut veram ex vano timore aut ambitione dissimulando, aut prorsus deferendo; ne incurrat in pænas, quas Deus illis inflixit, qui coronam terrestrem cœlesti anteposuerunt, ut Historiæ docent.

XIII.

Ex his facillè colligi potest, quid in simili casu subditis faciendum, quomodo se erga Principem suum alienam & falsam quidem Religionem colentem gerere debeant. Ferendus enim, quàm diu nullam in fortunas & consciências eorum tyrannidem exercet. Omnis ei obedientia, honor & cultus, ut veros subditos docet, absq; contradictione exhibendus. Doctrinâ, pietate, vitæ sanctimoniâ, obsequiis, & aliis mediis licitis demulcendus placandus, & si fieri possit, in partes trahendus. Quod si verò conscienciis eorum dominari voluerit, verum Religionis exercitium prohibendo, tormentis in eos sæviendo, bona & vitam eripiendo: justè se, Religionem suam, vitam & conscientiæ libertatem, omnibus tamen antea pacis & concordiæ mediis adhibitis, si jure non possint, armis etiam contra talem Tyrannum ut jurisdictionis suæ limites transgredientem ex jure naturali defendere valent: Quod si verò non possint, nec tutum, nec consultum esse putaverint, cum

eam patientiâ pro Deo & Religione, vel fortiter succumbant,
vel solo potiùs, quàm cælo cedant: impium enim est dicere:
Sequor Religionem Imperatoris. Barbara vox ex barbara Tartaro-
rum officina profecta: *Tuus Papa, meus Papa, Tuus Lutherus, meus*
Lutherus esto. Dei vox est: *oportet Deo magis obedire quàm hominibus.*
Act. 5. v. 29.

XIV.

Simili temperamento utendum Principi, si fortè plures in
civitate Religiones à verâ fide deflectentes reperiantur. Ni-
mirum, ne in conscientiarum libertatem sæviat; ne Mauri-
tanæ Inquisitioni locum præbeat; ne Justiniani Imperatoris
omnes Judæos ad fidem Christi cogentis more, omnes in u-
nam fidem jurare compellat; ne bello, tormentis, exilio, igne,
& ferro, fidē veram propagare, falsam extirpare conetur. Hoc
enim non est fori illius, sed ad solius Dei tribunal spectat. Fi-
des donum Dei est, cui dat ille habet; cui negat, ille caret:
nec ab ullo homine, vel vi, vel prece, vel pretio, obtineri po-
test. Non ergo debet princeps hujus mundi velle, quod Deus
non vult: nec à subditis exigere, quod Deus illis non dedit;
sed cogitare *solius Dei esse futura scire, conscientis imperare, & ali-*
quid ex nihilo creare.

XV.

Multò minùs Princeps alienas terras suæ jurisdictioni non
subjectas ob solam Religionis diversitatem bello invadere,
vastare, occupare, sibi subicere, miseros cives durâ servitute
premere, libertate, vitâ & bonis spoliare, exilio multare, ad
metalla damnare, aliisque pœnis injustè inflictis ad abnega-
tionem suâ, & assumptionem alienæ Religionis compellere
potest. Unde non immeritò multi mirantur: Quid juris Rex
Hispaniæ, & Pontifex Romanus in novum Orbem habue-
rint? Quo prætextu illum occupare, Regibus illius bellum
inferre, & infelices ejus incolas tantâ tyrannide affligere, &
funditus ferè extirpare ausi fuerint. Non Titulo jurisdic-
tionis temporalis: quia illam nunquam habuerunt. Non spi-
ritualis; quia hæc illis non competit, sed soli Deo. Non de-
fensionis; quia nunquam ab eis læsi, nec verbo nec facto of-
fensi fuerunt. Quo ergo, *nisi auri sacrâ fame, & cacâ cupiditate*
regnandi?

XVI.

Non ergo Hæretici plectendi? Nati, Seducti, Simples, Theoretici & Mentales tantum non sunt, quam diu vitam modestam & tranquillam agunt, nemini nocent, Rempub. non perturbant, nullum fidelium verbo, vel facto offendunt, neminem falsæ suæ doctrinæ veneno inficiunt, impiâ vitâ nemini scandalum præbent, & in apertas Dei blasphemias & proximi injurias, vel verbo, vel scripto, vel opere, non erumpunt. Aug. tom. 6. contra Ep. fundam. c. 2. *Illi sciant in vos, qui nesciunt, quo cū labore verum inveniatur, & quàm difficulter caveantur errores. Illi in vos sciant, qui nesciunt, quàm rarum & arduum sit, carnalia phantasmata pia mentis serenitate superare. Illi in vos sciant, qui nesciunt, quantâ difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri Solem suum. Illi in vos sciant, qui nesciunt, quantis gemitibus & suspiriis fiat, ut ex quantulacung, parte possit intelligi Deus. Postremò illi in vos sciant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem scire in vos omninò non possum, quia sicut me ipsum illo tempore, ita vos nunc debeo suslinere, & tantâ patientiâ vobiscum agere, quantâ mecum egerunt proximi mei, cū in vestro dogmate rabiosus & cæcus errarem. Et l. i. contra literas Petilian, c. 29. Diligite homines, interficite errores, sine sciviâ pro veritate certate: Nam servum Domini non oportet pugnare, sed mansuetum esse, & cum modestiâ corrigere eos, qui resistunt, si quando det eis Deus pœnitentiam ad agnoscendam Veritatem. 2. ad Timoth. 2. 24. & 25. Exercitia tamen publica externa quandoque illis interdici possunt, tunc præsertim quando in illis convitia, calumnias, diſteria, scommata, mendacia, maledictiones & execrationes & alia similia aculeata & seditiosa verba in veros fideles effundere non verentur; aut quando ex certis judiciis constat, eos non tam Religionis suæ exercendæ, quàm Religionis veræ & civitatis perturbandæ aut evertendæ causâ convenire: tū enim non Religio plectitur; sed perfidia punitur.*

XVII.

Sed quid dicendum de illis, qui ex proposito diversis sectis fores aperiant, schismata alunt, ut factiones inter subditos
ortas,

ortas, odia & diffensiones foveantur, ut iis ipsis, tanquam mediis accommodatis suæ securitati & potentiæ consulant? Aut qui Reipub. augendæ, & potentiæ confirmandæ gratiâ in suis terris asyla erigunt, urbes ædificant, ad easque omnis generis homines quibuscunque sectis insectos convocant, suscipiunt, libertatem Religionis cujuslibet exercendæ concedunt, novis insuper privilegiis præ aliis locis ornant & muniant? R. Idem quod de illis; qui rei pecuaria augenda causâ, in una & eadem mandrâ lupos miscent ovibus, milvos columbis. Qui Leoni & Draconi sui corporis custodiam commiserit, securus ne dormiet?

XVIII.

Justi belli fundamentum est causa justa: Nam temerè in acie versari, & manus cum hoste conferre, immane quiddam est & belluarum simile, inquit Cicero l. 1. de off. Ast juxta Poëtam: *Causa juber superos melior sperare secundos.* Primum autem locum inter justas belli causas & quasi clavum tenet justa & necessaria defensio. Vim enim vi repellere omnes leges, omniaque jura non solum permittunt, sed etiam jubent. Defensio verò respicit primò Religionem, deinde Regionem, & personam. Religionem veram defendere armis contra injustos oppressores tam domesticos quàm exteros: pro gloria Dei, pro lege & grege, pro aris & focis fortiter pugnare, nos docent non sacræ tantum literæ, sed omnium tam veterum quàm novorum Historicorum & Theologorū Orthodoxorum monumenta: Videatur Nehem. 4. v. 13. Polan. in Syntagm. vol. 2. l. 10. c. 67. & alii. Ratio quoque & lex naturalis id ipsum suadere videtur: Nihil enim pietatis veneratione potentius, & ad permovendos animos ad maxima & periculosissima quæq; efficacius esse solet. Unde Summa & Optima Ratio esse putatur, qua pro Religionis tuitio-
ne facit, ut quidam non ignobilis Jurisconsultus benè loquitur: Quamvis autem Religio in se tanquam spirituale bonum & gratuitum Dei donum, armis carnalibus nec obtineri, nec conservari possit, ipsum tamen veræ Religionis Exercitium & cultus liber ab injusta vi externa & impediendum insultu fidelium armis rectè defenditur. Omnis tamen absit.

fucns & pravus affectus. *Pessimè enim agunt qui sub specioso Religionis velo, Regiones venantur: Christum pratendunt, & Fiscum intendunt.*

XIX.

Quibus autem illi accensendi, qui in fœderibus, deditionibus, pactis & transactionibus pacis cum suis vel alienis principibus, vel vi, vel timore, vel lucri & commodorum temporalium spe & amore adacti, in Articulis Compositionis Religionem, honoribus, divitiis, libertati, commerciis, pensionibus, amicitiae & aliis temporalibus suis commodis postponunt, imò planè expungunt? Corpora salvant & animas tam suorum, quàm aliorum fidelium eorum tutelae se submittentium negligunt? *Nunquid Gergesenis Porcos & Lardum rancidum, Christo & ejus Evangelio preferentibus? Matth. 8. v. 34.*

XX.

ARDUA adhuc QUÆSTIO Coronidis loco hîc discutienda venit: An liceat Principi seu Reipublicæ Fidelibus, alienæ jurisdictionis ob Religionem sive à Magistratu, sive à subditis, afflictis & oppressis suppetias ferre, eosque à conscientiarum tyrannide armis vindicare? *R.* Jus naturalis Defensionis non solum nos respicere; sed etiam ad eos spectare, qui vel vicinitatis, vel societatis, vel fidei, vel alio quovis communitalis vinculo nobis obstricti sunt, etiam in causa Religionis, quantò magis in negotio Religionis adhibito, tamen moderamine inculpatae tutelae. Ad hoc Naturæ Lex invitat, quæ ad veram nos stringit charitatem, juxta illam Regulam Naturæ: *Quod tibi fieri vis, hoc alteri feceris.* Polan. in *Syntagm.* vol. 2. l. 10. c. 67. Nec improbat Scriptura *Exemplo Abrahami*, Gen. 14. v. 14. *Isrælitarum*, Jos. 10. v. 7. Imò præstat venienti occurrere hosti, impredientibus malis obviam ire, noxiæ plantæ adhuc crescentis radicem præscindi, & Adversarii malum cogitantis conatus opprimi, quàm periculo præveniri, & securitatis pœnam luere. Nec prætendi in hoc casu potest, alienam violari jurisdictionem: Nam qui jurisdictionis limites egreditur, jurisdictionem amisit: qui verò conscientis dominatur, limites jurisdictionis egreditur. Non potest

potest ergo ei auferri quod in hac materiâ non habet. Hæc
breviter & simpliciter de Materia præsentī perquam diffi-
cili, non quidem secundū consuetudinem hodiernā à Pseu-
dopoliticis receptā; sed secundū jus Naturæ & di-
ctamen rectæ Rationis differere placuit. Omnia
tamen Doctiorum iudicio subje-
cta sunt.



P O L I T I C U S E T P R Æ S E S.



Væ tua *Relligio* Præses præcordia tangit? POL.
Quid verba incassum de pietate facis?
Relligione putas mortalia corda moveri?
Ah caret hoc ævo *Relligione* πῶλιν.
Relligio πῶλεως Deus est *Reputatio* dictus,
Perfidia & fucus, cum *Ratione* *status*.
Jura, perjura, verum *mentire* colorem,
Disimula, *simula*: *Relligiosus* eris.
Fronte colas superos; mundanos corde Deastros;
Hæc *Pietas* Thusco *Relligio* placet.
Agnoscant superi! Scio fat mala tempora mundi, PRÆS.
Nulla valet pietas: fraus viget atq; dolus.
Vafram πλῦτροπι nōrunt abscondere vulpem,
Sed vulpina cadet larva vidente Deo.
Quid, rogo, conducit mortales fallere? Nunquid
Intima sunt cordis cognita cuncta Deo?
Charior est multis fallacis *Gloria* mundi, POL.
Quàm sit *Supremi* *Gratia* *summa* Dei.

PRÆS. Nil moror infani teretismata callida Thusci,
Non quæ mundus agit; sed facienda loquor.
Lingua, manus, pectus, veraci consonet ori,
Atque colas purâ *Religione* Deum.
Esto *Soli* civis calcans ut limina mortis,
Possis cum sanctis civis & esse *Poli*.

Hoc duratura amicitie

Σύμβολον p.

M. OTTO MALETTA, Rhætus,
S. M. Candid.





